



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ars Semper Gavdendi**

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per  
Adventuales Conciones

**Sarasa, Alfonsus Antonius de**

**Antverpiae, 1664**

Introductio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13517**

dilucidè quasi per epitomen, vno velut aspectu contemplandam proposuero. Totum orationis filum retexendo, manifestum faciemus artificium; illudque fiet euidens, omnia vnico tantùm, eoque firmissimo argumento fuisse superstructa. Itaque veritates solas, quarum rationes fusè exposui, meditabundus percurram; & euellam radicitus, vti spero, quas hactenus habui peruersas de rebus opiniones, vnicam ferè perturbationum omnium, quæ me vndique iactarunt, originem & fundamentum.

## INTRODVCTIO.

- I. **D**Ate mihi hanc veniam, Auditores, vt mutata paululum dicendi ratione, non tam ad vos, vti fieri assolet, tota dirigatur oratio, quàm ad me ipsum. Sinite me mecum agere res meas, & cogitationibus meis meditabundum interesse. Omnia enim quæ circa me sunt, cum plena tumultibus esse audiam, egredi sanè domo meâ non ausim; ne perturbationibus, quibus totus, quantus est, mundus inuolui dicitur, incautus implicer, & abripiar. Domi itaque meâ me contineo, cogitationes omnes intra me retraho; visurus porrò an quietem, tranquillitatemque, quam solam verum gaudium esse scio, quamque foris inuenire non est vbi perturbantur omnia, intra mentis meæ terminos non detur reperire. Sanè Gaudium vult Seneca, cuique domi suæ nasci. Agite igitur; totamque cogitationum mearum seriem, attentâ vos mente sequimini: Quietem animi in hoc rerum tam perturbatarum labyrintho si reperero, filum habebitis, quo vos ex omnibus rerum vicissitudinibus facillè extricabitis; quietemque animi, ad quam omnes suspirant, quamque consequuntur pauci, tandem dabitur obtinere. Hâc mihi per humanitatem vestram datâ veniâ, ad quietem me compono, & rationes meas mecum sic instituo.

*In animo  
quærenda  
est quies,  
non verò  
extra se.*

## TRACTATUS I.

2. **N**E mo ferè vllus est qui non asserat, imo & conqueratur, orbem vniuersum plenum esse molestiis, difficultatibus plenum. Et quidem inducor facillè, vt id ita esse credam, tam multi cum sint, qui id affirmant viri omni exceptione maiores, & ve-

*Tumultibus & molestiis plenus dicitur esse mundus.*

rò